



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Nomen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)



M.
TITULUS I.
MAGDALENA POENITENS.

§. I.

Nomen.



Magdalena Hebr. idem est, quod *turrita*, à radice *Migdal*, id est, turris: fuit enim proce-
ra, & excelso corpore. 2. Mag-
dalena idem est, quod magni-
fica, ut ait Origenes tr. 35. in
Marth. Aut Magnificata, sic
Pagninus in Nom. Græc. Hebr. 3. Idem Pagni-
nus: Magdalena idem est, quod vexillò insigni-
ta, aut vexillum ducens, vel elevans. Erexit e-
nim vexillum summæ poenitentiae, fervoris, &
amoris, in Christum, juxta Cant. 2. 4. *Ordina-
vit in me charitatem.* Hebr. *Vexillum ejus
super me charitas.* 4. Pagninus: idem est,
quod *educata, nutrita*, scilicet verbis Christi
internis, & externis, ad omnem sanctitatem.
Cornelius in Luc. 8. 2.

§. II.

Figura, & laudes.

Regina Saba audivit famam Salomonis &c. 3.
Reg. 10. 1. S. Bonaventura S. I. de S. Magd.
comparat illam Regina Saba audienti sapientiam
Salomonis; inter cœtera ait: si Regina Saba in-
venit tantam sapientiam in figura; quantam putas
invenerit Magdalena in re ipsa: dicitur enim Luc.
10. 39. *Sedens secus pedes Domini audiebat
verbum illius.*

*Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea
dedit odorem.* Cant. 1. 11. Quando scilicet re-
cumbente Dominò, à muliere habente alaba-
strum unguenti nardi &c. ejus capiti superfusum.
S. Justus Orgelii. hic.

Ille vadens nuntiavit &c. Marc. 16. 10. Fa-
cta est Apostola Apostolorum, quæ prius erat
fovea peccatorum. Hugo Card. hic.

Vade ad Fratres meos. Joan. 20. 17. Ecce
constituitur Magdalena inter homines prima nun-
tia S. Resurrectionis: ut nuntiet his, qui hanc re-
surrectionem per universum orbem proclamaturi
erant. Et Christus ore suo eam primam suæ re-
surrectionis Evangelistam fecit. Simon. Cals.
l. 14.

Quinque officia dedit Christus D. Magdalene
post conversionem. I. Fecit thesaurariam suam.
Christus non portabat pecunias; sed dicit Mar-
cus, quòd post sermonem circumspiceret, si à
Polyant. Sacr. Tom. II.

quopiam invitaretur ad prandium: hoc sciens
Magdalena &c. 2. Fecit eam Secretariam suam.
Luc. 10. 39. *Sedens secus pedes Domini.* Cre-
do, quòd ipsa petiit de se, in quo ordine colloca-
retur; & fortè fuit dictum à Christo, quòd cum
Seraphinis ex ardenti charitate. 3. Quia fecit eam
familiaris suam, & sociam Matris suæ: quæ, li-
cèt esset purior Sole, non tamen despexit eam. 4.
Fecit eam apothecariam, & medicam suam; quan-
do fatigato ex itinere unxit manus, & pedes, &
caput. 5. Fecit Apostolam. Petrus, Paulus &c.
missi ad peccatores; sed Magdalenam misit ad
convertendos Apostolos; dubios de Christi re-
surrectione. S. Vinc. Ferr. f. de S. Magd.

Quid per hoc vas, nisi Magdalene lapideum,
id est, firmissimum, cor candidum per propo-
situm innocentis vitæ. Hoc alabastrum plenum e-
rat unguento amarissimæ poenitentiae, & mœro-
ris. S. Bernardinus t. 2. f. 46.

§. III.

Magdalene poenitentia, lacrymæ.

Figura, & Symbola.

Memor ero-Babylonis. Pl. 86. 4. B. Magdale-
na fuit Babylon, plena confusione peccati;
vel confusione postmodum veræ poenitentiae. Sed
de Babylone facta est Jerusalem. Hoc est mira-
culum, de quo II. 21. 4. *Babylon dilecta meo po-
sita est mihi in miraculum:* quia scilicet de Ba-
bylone sit Jerusalem. Hugo Card. hic.

Anima mea liquefacta est, ut locutus est.
Cant. 5. 6. Monstruosum nimis gelicidium; si non
fluat, ut cera, cor tuum. Jacuit ad pedes Jesu con-
gelata prius Maria; tota mox in lachrymas instar
nivis, ad solem fervidum, liquefacta est. Au-
diebat simul eloquium tuum, quod est ignitum
vehementer: non solum ignitum; sed sicut oleum
effusum nomen tuum in fomentum ardoris. Jesu
Christe, propter nimiam charitatem, quæ dilexi-
sti nos, descendisti in abyssum incendii. Joan. Ger-
son tr. sup. Magnificat.

Sume cibarium, circa civitatem. II. 23.
16. Hugo Card. hic applicat S. Magdalene.

Tu speculum peccatorum, tu gaudium Ange-
lorum, tu poenitentiae forma, tu Apostolorum
Apostola, tu divini amoris fornax &c. S. Bernar-
dinus t. 2. f. 46.